Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Mercurii vigeſimâ-octavâ Septembris.

M. LUDOVICO GAYANT, Doctore Medico Regis ordinario, Præſide.

An Qui alios ſanat, ideo magis ſanus?

MENTIS corporiſque functionum integritas ſanitatem, ut earum læſio morbum conſtituit: ſexcenta hunc pariunt, illam, ſi lapſa eſt, nulla perfectè reſtituunt, ſex tantùm præſentem fovent. Ea eſt elementorum indoles, ex quibus proximè conflatur humanum corpus, ut indeſinenti (quo juxta ſeſe invicem cientur) motu, ſubjecti diſſolutionem moliantur: hinc innata homini proclivitas ad ægrotandum, hinc ſæpe evenit, ut illius ortus ab ejuſdem interitu breviori diſtet intervallo. Nec credas ulla eſſe alimenta, quibus perpetua illa ſubſtantiæ noſtræ deperditio penitùs inſtauretur; alioquin per multos annos in eadem integritate perſeverantibus, exiguum ultrà vitæ curriculum, quem nobis natura circumſcripſit, liceret progredi; quod experientiæ admodum repugnat. Nec exiſtimes medicamentis omnibus ſanitatis diſpendium ex æquo reſarciri. Quæ noxios humores per alvum ejiciunt, ea portionem aliquam alibilium unà eliminant. Quæ irritatione & ſuccuſſu vehementiori pituitam & bilem per os eluunt, illa partibus nutritioni & reſpirationi inſervientibus non leve faceſſunt negotium. Quæ heterogenea, quibus ſcatet ſanguis, per inſenſiles meatus educunt, hæc homogenea ſæpè nimiùm ſegregant, ſpirituumque diſſipationem non rarò promovent. Pleraque tandem ex animalibus, vegetabilibus, mineralibuſque chimici ignis ope eruta medicamina, dum contumaciſſimos aliquandò depellunt morbos; ventriculo, inteſtinis, aliiſque abdominis partibus labem ægrè delebilem ſæpius inurunt. Cum multa morbum faciant, pauca ſolvant, qui mentis & corporis gaudet ſanitate; videat, ne lædatur temerario rerum non naturalium uſu: hanc diſcat medicinæ partem, quæ ad valetudinem tuendam omnibus adeo neceſſaria eſt; eam experietur omnibus utilem, niſi illis, quibus per vitæ inſtitutum, & artis, quam exercent, officia, ipſius legibus non licet obtemperare; quique aliorum ſanitati conſulendo, in extremo ſuæ periculo perſæpe verſantur.

QUAM neceſſaria ὑγιεινὴ, quam proficua ſit, nemini non notum eſt. Aër exquiſitè temperatus, nec tenuior, nec craſſior, naturalem ſanguinis fermentationem fovet, purpureum colorem illi conciliat, chyli diſtributionem juvat, nutritioni non parùm conducit: peſtiferâ quâvis Mephiti coinquinatus, amplam invehit morborum ſegetem. Cibus potuſve moderatus, & unicuique congruens, effluvia ſolidarum liquidarumque partium affinibus particulis, diſpari tamen ratione, reſtituit: Qui utroque immodicè utitur, is vomitione, alvi fluxû, dyſenteriâ, & aliis ejuſmodi vexatur incommodis. Lenis & blanda corporis exercitatio ſpiritus torpentes exſuſcitat, tardiorem ſanguinis motum adauget, humorum ſecretioni, ideòque diaphoreſi mirè confert, ſtatim à cæna coctioni non officit: Aſſidua nimis & vehemens, corpus enervat, vires frangit, citatiorem ſanguinis circuitionem ſpirituumque jacturam promovet, ſtatim à paſtu crudiorem chylum in vaſa lactea citiùs protrudens, obſtructiones parit morborum prodromos. Tranquilla corporis & animi quies utriuſque vires recreat; ſpiritus celeritèr Effluentes pleniùs per ſomnum ſuis in ergaſtulis coacervati, ad officia alacriùs redeunt, exhauſtum diuturnis excubiis corporis robur in ſomno reficitur, & perennis ſubſtantiæ noſtræ deperditio utcunque cohibetur. Felices qui moderato utuntur ſomno, miſerrimi qui breviori aut longiori indulgent; in his, vel (tranſpiratione aliquatenus impeditâ) congeritur excrementorum fœda colluvies, fæcunda morborum parens; vel diſſoluto nimis per vigiliam ſanguine exhauritur oleoſa illiùs portio ſanitatis ut & vitæ fundamentum. Ejus vicem doleas, qui ſua conditione impurum ſpirare aerem, ſtatimque à cibo graviori operi cogitur incumbere, nec poteſt exinanitum penè corpus placido ſopore reficere, cum ὑγιεινῆς præceptis, quibus ſanitatem tueretur, morem gerere nequaquam poſſit.

PRÆTER motum & materiam, ſi quid eſt aliud in microcoſmo dignum obſervatione, maximè cæteræ affectiones partium ejus: Fluidæ pro locorum (quæ alluere debent) diverſitate, varias poſtulant configurationes, quæ morâ quâdam & fermentatione ſic mutantur, ut tandèm aptæ fiant, (cæteris alendo prorſus ineptis foras amandatis) in corporis ſubſtantiam faceſſere: hinc excernendorum excretio, & retinendorum retentio, tanti ſunt apud Medicos momenti. In retentis ſi peccas, venenata miaſmata, ſulphureo-ſalina corpuſcula evehuntur, quorum impurâ mixturâ fœdatur ſanguis, ſedeſque ipſa animæ ſpiſſâ nonnunquam caligine obducitur: Si contrà retinenda excernis, marceſcit corpus, areſcunt viſcera, ſucco nutritio partes, ſpiritibus genus nervoſum deſtituuntur. Rationi obtemperantes animi motus mirè ſanitati conducunt: intempeſtivus mæror aut metus liquorum corporis noſtri motum retardat, effuſum verò nimis gaudium, ira, & alia animi pathemata, eumdem præter modum accelerant. Nullus fere eſt, qui illis de ſanitate tuendâ regulis parere non valeat; diverſas hominum conditiones, variaſque artes oculis perluſtra, præcipua unius cujuſque muniâ ſedulò perpende, neminem reperies præter Medicum, cujus officia cum ὑγιεινῆς legibus minùs congruant: ſoli Medico, neſcio quo fato, contigit, ut muneribus ritè defungi ſimul & artis præcepta ſequi non poſſit; is eſt qui aliorum ſaluti conſulendo, ſuæ parum invigilat; imò, dum toto animo morbis debellandis incumbit, ſanitatis ſuæ non leve patitur detrimentum.

UT homines facie, ſic & indole, mirum in modum ab invicem diſcrepant; hinc ſtudia in contraria plerique diſtrahuntur: Hic ingenuis & claris ſtudet artibus, ille vilioribus, uterque mutuas ſibi tradit operas, uterque laboribus immenſis ſanitatis diſpendium, non æqua tamen ſorte, experitur. Opifices & ruſtici, quibus opera vita eſt, quorumque corpus à pueris labore obduruit, aulicis & urbanis firmiori gaudent valetudine. Litteris humanioribus, philoſophiæ, aliiſve ſcientiis dediti multum ſanitati ſuæ vigiliis detrahunt. Aſſiduo labore & indeſinenti mentis contentione, quibus illi agitantur, torquetur Medicus. Quiſquis omnia illius ab adoleſcentiâ ad extremum uſque ſenium officia metietur, nullum fere diem à labore vacuum, nullum feriatum numerabit. Cui in animo eſt medicinam facere, is vix exceſſit ex ephebis, cum philoſophiæ ſtudio accenſus, naturæ arcana & abſtruſa magis ſcrutatur; nihil non molitur, nec ſibi parcit, ut mineralium, vegetabilium, animaliumque vires perſpectas habeat. Ratus abſque Anatome truncam eſſe & debilem Medici ſcientiam, mortuorum viſcera rimatur, partium omnium proportionem, ſtructuram, ſitumque explorat, mutuum ſolidas inter & liquidas commercium, earum ſecretiones varias & uſus, omni curâ animique ſollicitudine nititur inveſtigare. Quantùm hæc nativum corporis robur imminuant, norunt, qui diurnâ, nocturnâque mentis agitatione pene jam confecti, pravos in explorandis cadaveribus hauriunt halitus, quibus inficitur ſanguinea moles, ſanitaſque, (etiam vegetior) non parùm infirmatur. Quam Medicus ſtudiis gravioribus infregit valetudinem, eandem, aliorum ſaluti invigilans, negligit reſtituere: Nullum remittit tempus, neque ſe reſpicit, ut ægris opem ferat. Febre peſtilenti, variolis, aut alio quovis contagioſo morbo divexatis medicam ociùs manum admovet, non curat nùm in ipſos medentes ſæviat peſtis, parùmque eſt ſollicitus de aëre tetris & venenatis effluviis contaminato, qui per os, & cæcacutis ſpiracula hauſtus, naturalem ſanguinis craſim, ac proinde ſanitatem aptus natus eſt invertere.

SI plura quæras argumenta, intuére Medicum, qui aliorum utilitati magis quàm ſuæ intentus, ſtatim à cibo ad ægros ſe confert, nullâ habitâ ratione coctionis, quæ nimiis à paſtu oblædi ſolet exercitationibus. Nec datur otium quieſque feſſo, totâ die in laborando conſumptâ, vix ſopor fatigatum occupat, cum dormitans interpellatur, dumque omnes placido perfruuntur ſomno, ſæpè vigilat Medicus, & afflictis adeſt. Neque tot inter incommoda ſanitati valde infenſa, libera mens ab omni perturbatione remanet, nonnullos reperias Medicos, quibus aliorum valetudo longe eſt ſuâmet antiquior, quique ex alienis ægritudinibus proprios aliquando metunt angores. Nulla ſanè ars quæ magis obſit artifici, quam Medicina; nullus in aulâ & foro, nullus in urbe aut rure, qui vitæ inſtituto tot ac tantis ſanitatem lædentibus addictus ſit quam Medicus, cujus ea eſt conditio, ut omnia artis officia non niſi cum ſummo ſuo diſcrimine poſſit adimplere. Medicum crede minùs infelicem quem optimâ temperie beavit natura, hic enim illatis ab arte ſuâ damnis minus patebit, modò ſit in victu temperans, à voluptatibus alienus, firmamque corporis ſui conſtitutionem curis edacibus non evertat.



Non ergo qui alios ſanat, ideo magis ſanus.

Proponebat Pariſiis JOANNES-BAPTISTA CHOMEL, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1695.